De corruptis quibusdam Senecae tragoediarum locis

disputavit

GVSTAVVS RICHTER.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quemadmodum, ut est in proverbio, ad primos iuvat redire amores, sic etiam litterarum studia ineunte aetate suscepta annis ingravescentibus recolere et relictos quodammodo iterare cursus magnam habet delectationem. Id enim agentes non solum dulcis iuventae imaginem memoria revocamus, verum etiam quae olim effecisse scribendo et praestitisse nobis videbamur, ut annis ita usu et scientia provectiores iudicio et firmiore et subtiliore metimur.

Sic ego quoque hac sollemni scribendi opportunitate oblata scriptionis materiam ex ea litterarum parte sumendam duxi, in qua primis eruditae aetatis annis sedem ac domicilium studiorum aliquamdiu collocaveram, cum eis dedita opera me darem quaestionibus tractandis, quae de Senecae tragoediis tum ipsum denuo moveri coeperunt. In ea provincia cum per septuennium sedulo versatus essem, pro mutata vitae et scholasticorum munerum ratione, ad alia, quae magis ad ipsam puerorum institutionem et paedagogi officium pertinerent, me contuli studia, inprimis historica et paedagogica, quibus ita operam dedi, ut eis quoque quae scripta foras dedi et scholae et litteris pro mea parte prodesse cuperem. Neque tamen studia initio suscepta ita omittenda putavi, ut non ad ea quae in illa litterarum parte a viris doctis inventa et in lucem prolata viderem, animum intenderem et mea facere, quantum eius fieri posset, statuerem.

Tantum vero his superioribus decenniis philologorum opera et curis studia Annaeana perceperunt fructum, ut hodie non solum de singulis rectius iudicare liceat, sed in universa etiam quae de his tragoediis versatur quaestione novo quodam fundamento subsistere. Ac ne principes quidem antiquitatis investigatores hisce litteris laborem et studia conferre dedignati sunt. Leopoldus de Ranke peculiari commentatione de Senecae tragoediis disputavit (Abhandlungen und Versuche. Neue Sammlung. Hg. von Dove und Wiedemann. Lipsiae 1888). Nicolavs Madvigivs, Danorum philologorum princeps, in adversariis criticis non paucos tragoediarum locos corruptos ingeniose emendavit. Otto Ribbeckivs in Historia Romanae Poesis de tragoediarum indole et ingenio, fontibus argumentis, compositione venuste et copiose exposuit. Franciscvs Bvecheler et Vdalricvs de Wilamovitz, quanta pollent admirabilis ingenii et doctrinae vi, editionem tragoediarum a Friderico Leone eximia arte et doctrina elaboratam suis inventis auxerunt. Atque hic quidem cum ipsa editione tum observationibus criticis priori editionis volumine propositis et nova iecit harum quaestionum fundamenta et multos ad haec studia exemplo proposito excitavit. E quorum numero duo prae ceteris commemoro doctos iuvenes, quorum alter de Bonnensi, alter de Vindobonensi studiorum disciplina profectus, dico Fr. Ladekivm (De Octavia praetexta. In tertio dissertationum Vindobonensium volumine 1891) et G. Nordmeyervm (de Octaviae fabula, Lipsiae. 1892) eodem fere tempore eam quae de Octaviae praetextae auctore et temporibus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

conclamata versatur quaestio, tanta et doctrinae copia et artis prudentia tractavit, et meo quidem iudicio profligavit, ut non iam dubitari possit, quin vera sit sententia dudum a Bvechelero lata, ante Tacitum scriptam esse praetextam (Mus. Rhen. 27, 474). Quod quantum valeat ad corrigendas opiniones de auctore et temporibus Herculis Oetaei et eius qui post Senecae mortem tragoediarum corpus primus confecit et edidit prolatas, neminem in his quaestionibus versatum fallet. Praeterea alii haud pauci singulis commentationibus ad diversas quaestiones ad tragoedias spectantes explicandas plus minusve contulerunt, velut Birt, Grimm, Habrvcker, Hosivs, Melzer, Smith, Stravss, Tachav, Werner, alii. Quae omnia perpendere et penitus examinare cum pro crescentibus in dies et annos munerum negotiis non liceret, tamen vel hanc vel illam partem horis subsecivis raris illis quidem et longis saepe annorum intervallis intercurrentibus, accuratius disquisivi et, quae invenisse ipse mihi videbar, in scriniis condita seposui. Ex his opibus subinde vel auctis vel iterata meditatione emendatis non nulla virorum doctorum iudicio proponere hoc libello volui, id cum poeta lectorem benevolum rogans: 'si quid novisti rectius istis, candidus imperti, si non, his utere mecum.'

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf